

Quod vero Quintilianus lib. undecimo ait, Gestus poculum poscentis, aut verbera minantis, aut numerum quingentorum pollice flexo efficientis: eo in loco eruditi plerumq, quinquagenarium potius agnoscunt: ut annotavit Pierius. Imagines extant in hieroglyphicis ejusdem.

DE NOTATIONE NUMERORUM PER CALCULOS.

Supputationem per lapillos, quos calculos vocant, Græci vocant Ψηφοφορίαν, ἀπὸ τῶν Ψήφων, id est, calculis. Prima enim Arithmetica meditatio olim cœpit per lapillos: unde reliquæ sunt multæ phrasæ, quæ in proverbialia abierunt.

Hic calculus accedat, id est, hoc momenti adjungatur.

*Calculum detrahere: & decedere calculum.
Ponere calculum, pro computare.*

*Calculum reducere, id est, mutare factum, cujus te pœniteat: aut vertere consilium rei non satis commodè institutæ. Nonius citat Cicero-
nem in Hortensio. Itaq, tibi concedo, quod in
duodecim scrupis olim, ut calculum reducas, si te
alicujus*